



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 25. Bonifacii IX. Papæ obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

ret, Pontifex, cui plene persuasum erat, Sæcul. XV.  
 quod, si Competitoris sui agendi ratio co- A. C. 1401.  
 honestari, atque probari valeret, ipse ju-  
 re suo excideret, indignabundus respon-  
 dit: se legitimum Pontificem, Benedi-  
 ctum vero Antipapam esse. Tunc Le-  
 gati haud parum offensi replicant, Domi-  
 num suum non esse simoniacum, tacite  
 fugillantes propudiosam beneficiorum  
 nundinationem, cujus Bonifacius reus  
 dicebatur: Hoc responso Papa vehemen-  
 tiori ira commotus jussit eos rupta o-  
 mni mora Roma excedere, atque ad sua  
 redire. Ad quæ Legati respondent, sibi a  
 Papa, populoque Romano fidei publicæ li-  
 teras datas, illis proin, utpote tempore si-  
 bi præstituto necdum elapso, sese usuros.

## §. XXV.

*Bonifacii IX Papæ obitus.*

Bonifacius hoc Legatorum responso im-  
 moderatius fervore animi excande- *Monach.*  
 scens in morbum incidit, violenta febr- *S. Dionys.*  
 correptus, cui accessit gravissimus, quo *l. 24. c. 12.*  
 jam diu laborabat, calculi dolor, hujus  
 morbi vis tribus ex post diebus feria quar-  
 ta die prima Octobris, anno sexagesimo  
 quinto ætatis suæ, Pontificatus vero de-  
 cimo quinto e vivis eum exturbavit. Vix  
 extremum egerat spiritum, cum illico Ca-  
 stelli sancti Angeli Præfectus, qui Papæ  
 defun-

Sæcul. XV.  
A. C. 1404. de iuncto sanguine junctus erat, Legatos Benedicti comprehendi, illosque in superhabita, qua muniti erant, fide publica, carceri mancipari jubet, in eos temere culpam mortis Bonifacii conjiciens. Qui tamen instantibus Cardinalibus paulo post libertati restituti sunt, exsoluto, ut dicebatur, arcis Præfecto quinque aureorum millium pretio. Hi recuperata libertate Cardinales exorant, ut electionem, donec nova Benedicti consilia intellexissent, differrent, certissimum hoc pacem Ecclesiæ restituendi medium fore asseverantes. Cum autem Oratores isti, ut Benedicti nomine Papatu cederent, nulla auctoritate instructi essent, nil ipsorum deferebatur precibus, maxime cum aliunde non parum suspecta haberetur eorum sinceritas. Quocirca Cardinales neglecta Legatorum petitione conclave ingrediuntur, ex quibus tamen novem duntaxat numerati sunt. Duo enim aberant, nempe Balthasar Cossa ipso illo tempore Legationis Bononiensis munia obiens, & Valentinus Cardinalis Quinqueecclesiensis Episcopus in Hungaria.

*Niem. l. X.  
cap. 24.*